Quelle: http://manuscripta.at/?ID=36565
Copyright: Göttweig, Benediktinerstift

praeferantur. Horribile itaque coniugium. sed horribilior integritas. 70
Nam qui matrimonio iungit virginem suam benefacit. sed qui non melius
facit. Quod ergo bonum est non est vitandum. et quod est melius eligendum
est. Itaque non imponitur. sed praeponitur. et ideo bene apostolus dixit. de virginibus
autem praeceptum domini non habeo. consilium autem do. Praeceptum enim praeceptum
in subditos fertur. consilium amicis datur. Ubi praeceptum est lex est.
ubi consilium gratia est. praeceptum ad naturam revocet. consilium ad
gratiam provocet. Et ideo lex iudeis data est. gratia autem electoribus
reservata est. lex ut a naturae finibus culpae studio demeantes. ad na
turae observantiam poenae terrore revocaret. gratia autem ut electos
cum studio bonorum tum propositis etiam praemiis provocaret. Et ut intel
ligas distantiam praecepti atque consilii. illum recorderis cui in
evangelio ante praescribitur. ne homicidium faciat ne adulterium ad
mittat. ne falsum testimonium dicat. Praeceptum enim ibi est
ubi est poena peccati. At vero cum se praecepta legis memorasset im
plesse. consilium ei datur. ut vendat omnia et sequatur dominum. Haec enim
non praecepto imperantur. sed consilio deferuntur. Duplex namque forma
mandati est. una praeceptiva. alia voluntaria. Unde et dominus in alia
dicit. non occides. ubi praecepit. in alia si vis perfectus esse vende omnia
tua. Ergo hic liber est a peccato. cum defertur arbitrio. Itaque qui praeceptum
impleverint possunt dicere. servi inutiles sumus. quod debuimus facere
fecimus. Hoc virgo non dicit. non dicit ille qui bona sua vendidit. sed
quasi reposita exspectat praemia sicut sanctus apostolus qui ait. ecce nos reliqui
mus omnia et secuti sumus te. quid ergo erit nobis. Non enim quasi inuti
lis servus quod debuit facere fecisse se dicit. sed quasi utilis domino qui com
missa sibi talenta quaesitis multiplicavit usuris. mercedem fidei atque
virtutis bene conscius sibi. meritorumque securus exspectat. Et ideo
cum ceteris ei dicitur. vos qui secuti estis me. in regeneratione cum sederit
filius hominis in sede maiestatis suae. sedebitis et ipsi supra duo
decim sedes iudicantes tribus Israel. At vero illi qui talenta servaverunt
etsi praemia minora. tamen praemia pollicetur dicens. quoniam super pauca